

**A** Ergo certum erit & hoc, quod ex illa colligitur. Oportet enim omnino tandem contemptibiles & abominabiles fore omnibus pijs, qui iam Deo sunt abominabiles.

PSALMVS LIII.  
TITVLVS.

AD PRAECINENDVM IN CITHARIS ERVDITIO DAVIDIS.  
cū venissent Ziphai ad Saulem, ac dixissent: Nunquid Dauid  
absconditus est apud nos?



**D**EVS in nomine tuo saluum me fac, & in virtute tua iudica me.

VERS. I.

2. Deus audi precationem meam, auribus percipe verba oris mei.

3. Quoniam alieni insurrexerunt aduersum me, & fortes quaesierunt animam meam, non posuerunt Deum ante conspectum suum Selah.

4. Ecce Deus est adiutor meus, Dominus cum ijs est, qui animam meam suffulciunt.

5. Reuertetur malum ad inimicos meos, in veritate tua perdes illos.

9. Liberaliter sacrificabo tibi, celebrabo nomen tuum Domine, quoniam bonum est.

7. Quoniam ex omni angustia liberaasti, & in inimicis meis vidit oculus meus.

Dominus cum ijs est, qui animam meam suffulciunt. ]Ebr. ארצי בסתר בנפשי. Græc. & vulg. Lat. Et Dominus **LECTIO.**  
susceptor est animæ meæ. Hieron. Dominus sustentans animam meam. Sic & Iustin. Pagnin. Dominus est interfic- **vers. 4.**  
stentatores animæ meæ.

Reuertetur malum & inimicos meos. ]Ebr. ישוב חרע לשררי. Græc. & vulg. Lat. Auerte mala inimicis meis. **vers. 5.**  
Hieronymus: Redde malum insidiatoribus meis. Sic & Iustin. Felix: Reddat malum tribulantibus me. Pagnin.  
Reddet malum inimicis meis. Felinus: Rependet malum insidiatoribus meis.

Et in inimicis meis vidit oculus meus. ]Ebr. רבאי ראתה עיני. Vulg. Latina: Et super inimicos meos despe- **vers. 7.**  
xit oculus meus. Hieron. Et inimicos meos vidit oculus meus. Sic & Iustinianus. Felix: Et inimicos meos despe-  
xit oculus meus. Pagninus: Et in hostibus meis, quod volui, vidit oculus meus.

DE TITULO.

**B** Cū venissent Ziphai. ] Titulus exigit historiæ cognitionem. Legimus autem istam Ziphæorum  
proditionem in Samuele lib. 1. cap. 23. semel, deinde iterum cap. 26. ita vt incertum sit, an de prio-  
re sit, vel de posteriore, quod titulus habet, intelligendum. Verū nihil impedit vtramq; respexisse  
Dauidem in hoc Psalmo: quem credibile est, posteaquam ex his tentationibus liberatus esset, hu-  
iusmodi Psalmos composuisse.

QVAE SINT IN HAC HISTORIA OBSERVANDA.

DE ZIPHÆIS.

Ziphæos istos apparet homines fuisse impios, qui nullam habuerit iudiciorum Dei, nec inno-  
centiæ Dauidis rationem: quibus nihil fuerit ob oculos, quàm hoc vnum, Saulem esse regem, hūc  
vnicè esse obseruandum, colendum, vniq; in omnibus per fas & nefas gratificandam. Hi nobis eos  
referunt in regno Antichristi, qui hoc vnum curant, vt Antichristi tyrannis, innocuas Euāgelij do-  
ctrinam persequentis, stabiliatur: quasi nihil possit delinquere, vt vt innocētis ad mortem quærat.

DE SAULE.

In Saule expressum est ingenium Antichristi. Saul cū non affligeretur à Dauide, sed ipse Da-  
uidem persequendo affligeret, putabat se in eo miserum esse, quod non pro voto omnes regni in-  
colas ad necem Dauidis habebat obsequentes, atq; ideo de omnibus malè sentiebat. Ziphæos verò  
istos dicebat benedictos esse à Domino, quod vicè suam dolerēt. Ita prorsus habet Antichristus.  
Is patat pro regni sui gloria conseruanda laborare debere Christianos omnes: & eos qui hoc non  
faciunt, habet pro maledictis: faciētes verò, pro benedictis à Domino, quos etiam honore & opi-  
bus cumulat. Nam ille nihil aliud quærit, quàm vt regni gloriam continere possit, licet sentiat vt &  
Saul, iudicio Domini se premi. Ita in regno Antichristi benedicti sunt à Domino, qui Dauidem  
cum suis socijs persequuntur ac produnt, qualis qualis sit persequendi causa.

DE DAVIDE.

1. In Dauide 1. Sam. 23. notandum est, quomodo Deus soleat suos eousq; aliquando deserere,  
vt perditioni videantur iam proximi: inò ita desperatā reddat illis euasionem, vt appareat impos-  
sibile posse liberari. Et tamen oportunè sperantes in se ex ipsis veluti mortis faucibus eripiat.

2. Deinde & hoc notandum est isto loco, quomodo per irruptionem alienorum à repub. Israë-  
lis, Philistæorum videlicet Dauidem innocentem cum suis liberet. Mirabile Dei consilium. Quem  
adeò infensum hostem habuerunt Philistæi atq; hunc Dauidem, à quo toties antea percussi erant?  
Et ecce ab illis ipsisoritur Dauidi occasio liberationis, quasi huius gratia irruerint in terram Is-  
raëlis, vt Saulem à persequendo Dauidem abstraherent. Ita nouit Deus conatus reproborum mi-  
rabili modo infringere.

EX I. SAM. XXXVI.

1. Primū apparet hīc ingenium impiorū, quomodo nullo modo possit placari, sed magis atq;  
magis, etiam cognita eorum quos persequuntur innocentia. Fœdus inierat Saul cum Dauide, co-  
gnita